

tem, tametsi homo enormia scelera perpetret, & in iis perseveret, dummodo inter peccandum credat? Non poterat fugere hostes nostros, fidem a nobis partem poenitentiae constitui, atque adeo contritionem habere antecedaneam, ita ut non posse remissionem peccatorum habere statuamus, qui non doleat prius de commissis: Vulneratis enim medicus datus est; Docemus etiam ex fide, indivulso nexu, opera charitatis, tanquam fructus enasci, eamque in justificatis minime esse otiosam, etiamsi illis operibus neque justificatio neque salus, sed soli fidei tribuenda. Quam vero cognationem habent haec nostra dogmata cum Eunomianorum propositionibus? quae sceleribus portam adeo patentem aperiebant, ut Gratianus Imperator, qui omnibus sectis libertatem permittebat, cum Manichaeis & Photinianis, illos Eunomianos jure isto exclusos vellet; teste Socrate H. E. L. V. c. 2. Hinc nonnulli ex ipsis Pontificiis hanc haeresin nobis imputare verentur, sed nos immunes pronunciant: & tamen audet Sandaeus cramben Bellarmini apponere, & asserere, quod Lutherus doctrinam de sola fide, quam Eunomius fovisset, tot annorum spatio decurso, rursus ab inferis suscitaverit. Jac. Laurent. Apolog. p. 62. Lutheri vero verba, quae adducit Bellarminus ex Libro de captivitate Babylonica, ibi nequaquam leguntur, sed in illo toto scripto evincere vult vir divino zelo plenissimus, ut declaret non opus operatum in Sacramentis, sed fidem, gratiam divinam & bona promissa conciliare, & quidem solam, absque operibus, quae DEUS coram throno justitiae respicere non possit. Quid itaque est, quod desideremus? Conf. Libri illius p. 1392. verba: *Non Glauben zu den Sacramenten must du kommen/ ohne einige Wercke / wilt du seelig werden.*

## §. XX.

De POENITENTIA quando, ut jam dictum, sententiam ex  
ver-